10

Ego Philippus de Sollingen Archidiaconus tituli sancti Lubentii in Dietkirchen in ecclesia Treuerensi Notum facio vniuersis quod archidiaconatum
meum predictum, et omnem eiusdem Archidiaconatus Jurisdictionem vna cum vniuersis suis Juribus et pertinencijs a Reuerendissimo
in christo patre et domino domino Richardo Archiepiscopo Treuerensi domino meo graciosissimo, ad cuius collacionem seu prouisionem ipse Archidia-
conatus meus pertinet, pleno iure recepi ac me recepisse recognosco per presentes, quodque in huiusmodi mea promocione iam dicto domino meo
domino Archiepiscopo Treuerensi infrascriptum obediencie et fidelitatis prestiti Juramentum cuius tenor sequitur in hec verba Ego Philip-
pus de Sollingen Canonicus et Archidiaconus tituli sancti Lubentii in Dietkirchen in ecclesia Treuerensi, Juro polliceor et promitto Quod
ab hac hora inantea fidelis ero Reuerendissimo in christo patri et domino domino Richardo Treuerensi Archiepiscopo eiusque successoribus et ecclesie
Treuerensi eorumque personas, ac Jura statum et honorem presentes et futuras fideliter promouebo, Et pro posse defendam, periculum siue
dampnum rerum seu personarum eorum non tractabo nec tractari procurabo, verbo vel facto nec tractantibus, dabo consilium auxilium vel
fauorem Et si quemquam aliquid horum tractare vel procurare sensero quantocius potero eis manifestabo, Consilia et secreta eorum michi
credita fideliter apud me retinebo, et ea nulli ad eorum dampnum preiudicium vel contumeliam pandam. Archidiaconatum meum pre-
dictum et ipsius Jura prouentus et libertates fideliter manutenebo, et deperdita ex hijs pro posse recuperabo, nec de hijs aliquid alie-
nabo vendam impignorabo in feudum vel in emphiteosim concedam, sine prefati domini mei Archiepiscopi Treuerensis, aut suorum successo-
rum licencia et consensu expressis, clerum michi subiectum in honoribus et Juribus suis debitis fideliter conseruabo, iuxta posse nec
eos artabo, aut artari permittam vltra id quod per ipsos erga suos Archidiaconos predecessores meos ab olim fieri est consuetum, pre-
fato domino meo Archiepiscopo eiusque successoribus seruiam et obediam in omnibus licitis et honestis, Contra premissa aut aliquod eo-
rum, non impetrabo relaxacionem dispensacionem seu commutacionem a Sanctissimo domino nostro summo pontifice seu eius successo-
ribus generalibus Concilijs, eorum legatis seu alia quacumque persona, quacumque eciam prefulgeat dignitate nec vtar impetrat vel
impetrandis, eciam si motu proprio fuerint concessa. Sic me deus adiuuet et hec sancta dei ewangelia In cuius rei testimonium Ego
Philippus de Sollingen supradictus has litteras sigilli mei appensione muniui Datum vicesimanona die Mensis Octobris Anno
domini Millesimo quingentesimo vicesimo tercio

Diözesanarchiv Limburg (DAL)
Signatur: FA/1, Nr. 16

N. 6 fasc. 1

Archidiaconus à Rolling

Iuramentum Archidiaconi in Dietkirchen philippi de Rollingen

Rta ad N lam ad Ipalia[illegible]

Anno 1523.

J

Diözesanarchiv Limburg (DAL)
Signatur: FA/1, Nr. 16

Diözesanarchiv Limburg (DAL)
Signatur: FA/1, Nr. 16